

Jakob Sturtz

**Oratio Edisserens, Quaenam personae ad reipubl. clavum summo cum eiusdem emolumento admovendae. In qua Virus, Sapientia, Prudentia, Providentia, tanquam Helice aut Cynofura, ad quam universum regimen dirigatur, commendatur**

Rostochii: Pedanus, 1627


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729452751>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 1627  
Jacob Sturm







ORATIO  
EDISSERENS,  
Quænam personæ ad reipubl.  
clavum summo cum ejusdem  
emolumento admovendæ,

*In qua*  
Virtus, Sapientia, Prudentia, Provi-  
dentia, tanquam Helice aut Cynosura,  
ad quam universum regimen dirigatur,  
commendantur.

*Scripta & habita*

JACOBO STURTZ.

*In magno amplissimi senatus Academia  
ad Varnum consessu, & frequentissima  
studiosorum corona sexto calend.  
Decembris.*



EUSEBIUS.

Illum, qui aliis præest & præcipit, non potestate so-  
lum regendi ac imperandi, sed DIGNITATE  
PRUDENTIAQ; subditis antecellere convenit.

ROSTOCHII

Ex Typographico Joachimi Pedani Acad, Typogr. Anno 1627





ILLUSTRI NOMINI  
T. GENEROS.

*Illustris & Generosissime Domine,*

**D<sup>N</sup>. JOHANNIS SKYTTE**

Senior liber Baro in Duderhoff, domine hereditarie in Gronson & Stromsrum, Eques aurate, Serenissimi ac Potentissimi Regis Sveciæ Consiliarie & Senator, Regiæ Cameræ Administrator, & Academiæ Upsaliensis Cancellarie magnificentissime, Domine & patrono mi gratiosissime.



**S**I res secunda temeritatis occasionem incautis regnantibus praebeant, si literarum ruditas ac contemptus multijuga imperij detrimenta, varias seditiones, everfiones, nonnullos reipubl. interitus in tantū excitet; ut ij fastigio dignitatis dejici possint. In comperto est, necessitudinem operari, ut Princeps oculum in sceptro habeat, agat, disponat omnia caute & prudenter; ne in dolum pertusum ea, quae sibi perficienda assumit, ingerat, aut ne, dum studet, ex obturbilato rerum fluctantium animo ac suo nevo remp. vel regnum quoddam modo conturbatum restituere, ac in pristinum statum reducere, is ipse autor omnium simultatum, nonnunquam quoque everfionis fiet, ac stare signa reipubl. interitus ad impluvium suum videantur. Silebo itaque bacchationes nocturnas quorundam ducum militum: lenonum, aleatorum, perducetorum nullam mentionē faciam: praeteribo damna, dedecora, quibus ferē tota germania afficitur: nec cogitabo de direptoribus facultatum nonnullarum provinciarum, multae n. urbes opibus spoliata, & eo simul redacta, ut constituta tributa haud facile possint pendere. Sed postquam medelam salutarem ac valde reipubl. ac imperio conducibilem, nempe virtutem, sapientiam, prudentiam, providentiam. Conservant n. roborant, firmant, stabilunt remp. labefactatam, imperium penē desperatum ad veterem statum reducunt, sustentant. Sapiens recidere nequit, ne incidere quidem in aliquam labem potest nec ei interscindi letitia. Nam contextitur illi gaudium, nulli fortuna. semper & ubique tranquillum est. Non ex alieno pendet, nec favorem fortune aut hominis expectat: domestica illi felicitas est. Quid est in tormentis, quid est in aliis quae adversa appellamus mali? ut opinor, succidere mentem, incurvari, succurrere, quorum nihil sapienti viro potest evenire. stat rectus sub quolibet pondere: nulla illum res minorem facit, nihil illi eorum, quae ferenda sunt, duplicet. Nam quicquid cadere in homines potest, in se cecidisse non queritur: vires suas novit; scit se esse oneri ferendo. non educo sapientem, ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittentente, submoveo. tremet, dolet, expallescit, si omnia quibus vulgus inhiat ultro citroque, fluere videat, nec sequi admonitionē eius velit, facite conjecturans, quod omnes quae usquam rerum potiuntur urbes, quaeque alienorum imperiorum magna sunt & decora, ubi fuerunt, non longe post quaeretur, & vario exitij genere collectur: alias destruent bella: alias defidia, paxque, ad inertiam versa consumet, & magnis opibus exitiosa res luxus. Ut a. quis sapientium nomen mereatur, cum in iis sapientiam sectantibus



bus magna discrimina sint, est, ut in studio sapientia, eloquentia omni cogitatione defixa dies noctesq; exerceatur. tum ei, non sicut Luxurioso frugalitas poena sit, sicut pigro supplicij loco labor, sicut desidioso studere torqueri: & dignus clavo gubernationis censeatur. induat animum non privato sed publico commodo esse inservendum, nec quicquam suum esse credat, quod in rationem utilitatis privata cadat. Laudatur institutum Priscorum, qui tali sententia animos suorum imbuerunt, ut in virtute principatum collocarent, imò hanc vocem Rex erit, qui rectè faciet: qui non faciet, non erit, ut Porphyrius, aut ut Acron reddit: is regnum habet, qui possit rectè facere: non tantum à pueris cantatam; sed optimis quibusq; probatam: addit Horat. dum ait:


Roscia dic fodes melior lex, an puerorum  
Nania, quæ regnum rectè facientibus offert,  
Et maribus curiis & decantata Camillis.

Quod probè nôrit Franciscus Valesius Galliarum rex, qui non modo ad studium sapientia, eloquentia incumbbat, sed insuper homines eruditos ad se ex omnibus orbis terrarum partibus, amplissima corû industria præmia statuens, convocabat: Idem illud exemplum jamdudum Svecia te, Illustr. & Generos. Baro, maxima cum tua laude renovantem intuetur. Ille ad ceteras suas laudes eam addidit, qua nulla, meo quidem iudicio, major est, nulla præstantior, ut communi omnium consensu Literarû Pater nominaretur, idem illud cognomen Illustr. nomini T. Generos. apud posteros tributum iri, cuius per facile, qui tuam erga homines liberaliû artium scientia excultos munificam, planèq; regiam voluntatem cognoverit, augurari. Oportet ergò omnes, omne tempus in literis ponentes, & aliquid assidue, quantum in illis est, excudentes, industriam eò conferre, ut, quacung; ratione queûnt, heroicæ ac divinas virtutes tuas omni genere monumentorum, ad immortalæ posteritatis memoriam consecrent. non quod rerum à T. Illustr. Generos. gestarum gloria testimonio indigeat: sed quod alia nemini via ulla relinquatur, qua ingenti animi notâ effugere valeat. Peto itaq; à T. Illustr. Generos. ut, qua humanitate & benevolentia studia foves, eadem hos meos labores, qui nulla re magis, quam tuâ Illustri nominis autoritate nixi, in publicum prodeunt, tibi accipiendos putes: neq; tam quid amplitudini ac Illustr. Generos. T. conveniat, quam quid præstari à me possit, expendas. Dab. 4. calend. Decembr.

Consecro & offero submissè

JACOB. STURTZ.  
Nulla





Ulla Respublica, Viri re-  
verenda dignitate, autoritate  
spectabili, eminenti eruditione  
excellentissimi, fautores, pro-  
motores, mœcenates æternum  
colendi, vosq; ceteri, qui adestis,  
& generis splendore, & doctrina,  
& virtute nobiles, præstâtes, nul-  
la, inquam, respublica felicior,

nullum imperium firmitus, nulla concordia stabilior,  
nulla fortitudo perseverantior, quàm ubi ratio perfecta,  
consilium sanum, sapientia, prudentia, non verò corpo-  
ris moles, vis, inciticia dominatur, reperiri potest. Non  
igitur verè minus, quàm prudenter à Cyro Rege & Mo-  
narcha Persarum primo & potentissimo, dictum esse au-  
tumo: neminem esse debere, qui vel ultro imperium in  
alios expetat, vel ab aliis oblatum suscipiat; nisi eos om-  
nes, quibus vitæ atq; morum præscribere leges necesse  
habet, plurimarum rerum cognitione & usu, intervallo  
longo sese anteire, aliis virtutibus imperio ac magistra-  
tui necessariis superare noverit. Nam quis ignorat?  
omnis imperij radicem, omnisq; laudis penam esse consi-  
lium rectum, sapientiam, prudentiam, quæ cuncta irra-  
diant, cuncta continent, cuncta illustant, quibus re-  
motis, nihil opum potentiaq; magnitudo perficit. Non  
enim fieri aliter potest, quàm funditus evertatur respu-  
blica, si solida ejus fundamenta hominum improbitate  
mota fuerint, hoc est, si abfuerit prudentia, fides, con-



cordia; quandoquidem respubl. armis non seruatur, nisi fide steterit, si fortitudo in bellis & utrobique prudentia, oculus animæ abfuerit. Hæ formæ sunt rerum humanarum, finesq; omnium laborum, felicitatumq;. Est itaq; ut ea Principes, Reges, Duces, Consules, Jurisconsulti, aliiq; patriæ consultores clavum reipublicæ suscepturi, sibi propositum habeant. Hic nisi scopus fuerit, nunquam salus & tranquillitas reipublicæ vel constituetur, vel sperari potest. Injuria enim, insolentia, superbia, imprudentia pedissequam hoc ipso everfionem reipublicæ habent, Et testatum faciunt Livius, Herodotus, Cornelius Tacitus, Valerius Maximus, Q. Curtius, & innumeri alij historici, sæpenumero ob unius viri prævaricantis facinus totas periisse civitates, regnaque. Utinam ergo omnes cum Flavio Tito & Nerva gloriari possent, se ita principatum tenuisse, ut in eo nullum scelus ediderint, nec unquam induci ab ullo potuisse, ut ob crimen impietatis incusari meruerint. Titus nemo, inquit, injuria me afficere, aut insequi contumelia potest, propterea, quod nihil ago, quod reprehensionem mereatur. Nerva de se jactatus; se nihil fecisse quo minus deposito imperio posset tuto vivere. Quod verbum sanè magnum est, nec cuivis imitabile. Siquidem non omnes mortales, licet omnes rationis non expertes & ab uno creatore formati, Titiani sint aut Nerviani. ratio enim in uno homine perfectior, excultiorq; est, quàm in altero. de qua re, si verbosior essem, utiq; noctuas, quod ajunt, Athenas portare, aquilas volare, natare Delphinum docere viderer. haud itaq; abs re me facturum putavi, si eam cogitationem pertractandam  
fufci-



fufciperem, quæ fingulis imperiis, regnis, principatibus, ducatus & rebus publicis utilis & grata futura eft. Cui nempe & quali viro, clauus gubernationis tuto committi & debeat & poffit. Agnofco quidem in tam arduâ, gravi, perplexâ & nobili materiâ ingenij mei tenuitatem, quòd, ut maxime velim, perficere tamen ex voto animi cuncta non poffim. fed cum vestræ benignitati & humanitati plurimum tribuam, certa me fper tenet fore, ut balbutienti mihi veniam fitis daturi: licet vulgata, licet impolita, licet non ad exquisitum guftum facta dederò, veftro favore fingulari fubleuatus, veftra benevolentia adortus, quæ nemini unquam bono fraudi fuit. fpero quoq; à vobis, Aud. Clar. & Emin. & rogo, ut ad audiendum mentes confvetas, placidas fcil. benignas, facileis: aures attentas, pronas, promptas iudicium fyncerum, ab omni liberum ac folutum perturbatione: tale deniq; afferre velit, quale quifq; fibi exoptaret, fi huic fe loco committere, dicendoq; exercere vellet.

Quamquam hominem, ut hinc initium mea capiat oratio, animal eſſe naturâ civile & ſocietatis appetens, imò ad eam natum ac factum, non tam Epicurus, aut Ariſtoteles, quam veritas affirmat: attamen in illam coire non potuiſſe deſtitutum orationis adminiculo, ita eſt perſpicuum, & cuiq; cognitum, ut ad illud evincendum, nec facundia Iſocratis, nec Quintiliani aſſeueratione, nec Ciceronis gravitate opus fit. Etenim ut animans unum altero eſt præſtantius, nobiliusq;, ita & oratione, ingenio, doctrina, conſilio, virtute, prudentia, ſapientia, homo homini anteaſtat, & quemadmodum pulcherri-



4.

Cherrimum ac ornatissimum hominis corpus capite or-  
natum, auribus condecoratum & oculis, spiritu nobili-  
ori animatum, corde instructum videmus: ita etiam  
republicam bene constitutam, capite, id est, Impera-  
toribus, Principibus, Magistratibus adornatam, auribus  
& oculis, i. e. consiliariis & legatis exornatam, anima,  
i. e. legibus dotatam, corde, i. e. belli ducibus armatam  
quis ignorat? ut autem sola medicina est, quæ corpus  
humanum curat, victus rationem commodam præscri-  
bit, ut sanitas servetur, omnia membra sese bene habe-  
ant, quodlibet suo officio rite fungatur: quin imò cum  
eorum aliquod debitum officium præstare recusat, me-  
dicamentis & Pharmacis succurrit, ac varia morborum  
genera, quibus corpus tentatur, adventantia præviden-  
do antevertit. Ita & temperantia, prudentia, justitia,  
fortitudo, eisq; accedentes extrinsecus scientia rei mili-  
taris, autoritas, felicitas, atq; liberalitas sunt, quæ pa-  
cem, tranquillitatem, otium atq; concordiam reipubl.  
præstant, ut quodlibet suam rite membrum functionem  
obeat, ut superiores inferioribus dicta deferant, inferi-  
ores dictis obediant, magistratus leges præscribant, sub-  
diti accipiant, & secundum eas vivant. Hæc sola sunt,  
quæ defectiones, tumultus, seditionesq; anticipant, or-  
tas sedant, componunt, penè desperatas quasi per me-  
dium profundum euntes respublicas, funditusq; fere  
destructa regna curant, restituunt, roborant, præser-  
vant: amplissimos ordines & exhaustos cade varia, &  
contaminatos veteri negligentia purgant, restaurant.  
Etenim ut caput, h. e. Imperatores, Reges, Principes,  
Magistratus intueamur, qui possent illi plebem ceu mul-  
torum



torum capitum beluam, consilij rationisq; expertem in officio retinere, turbulentam componere, nisi his veluti divinis uterentur virgulis. Est igitur ut his & aliis virtutibus operam dent Reges, Principes, Magistratus. Nam proponuntur subditis quasi specula, unde quas imitentur, & moribus efforment, imagines depromunt tales futuri, quales idæa Regum, Principum. Incidit mihi commodum jam istud Platonis dictum: Quales sunt in republica Principes, tales solere in ea esse cives. Inde vulgatum est sermone proverbium: qualis Rex talis grex. Apuleus verè & eleganter scriptum reliquit, Quis enim à te, inquit ad Proconsulem, non amet discere, quanam moderatione obtineri queat, tua ista gravitas jucunda, mitis austeritas, placita constantia, blandusq; vigor animi, tum etiam flexiles quamcunque in partem à Principe, atq; ut ita dicam, sequaces sunt. Judicant mores & vitia Regis imitari genus obsequij: & meminisse vos, Aud. Cl., velim Poëtæ illius qui ait:

*Scilicet in vulgus manant exempla regentum*

*Utq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.*

Unde Nazianzeni sermo exoritur; nullam vestem adeò preparatam ad colorè, nec tam idoneam ad odorem recipiendam esse, neq; tam pestilentem ullum halitum in aere diffundi, cujus contagine animantes inficiantur; quam soleat celeriter Principum virorum pravitatem atq; vitii compleri vulgus. Ludovicus XI. Rex Gallia & Carolus V. Imperator abhorrebant luxum vestium, quò Franciscus I. Rex Gallia valde sibi placebat, inde factum ut eandem modestiam sub Ludovico induerent subditi, & sub Francisco ad solitum fastum redirent. Hic idem

B

Fran-



Franciscus, quod sapientū studiosus esset, literas è longo veterno resuscitavit, cunctis eò tendentibus, quo Regem vergere & tendentibus præmia dicasse videbant. Agellus rogatus, quare adulta hieme sine tunica incederet? respondit, ut juvenes imitentur, habentes & senis & Principis exemplum. Usq; adeò certius est, magistratum actiones etiam non magnas à subditis observari: non in ea solum, quæ fiunt, sed & privatim geruntur, curiosè inquiri: convivia numerari: notari matrimonia: colligi alia: imò etiam jocos & facetias discutiri ac censoriâ virgulâ examinari. Præstans doctrina: insignis virtutibus Lucullus extitit, hominum interim varia de se judicia, sermones parum commodos excitavit: quòd Sybariticis & Syracusanis deditus mensis esset: heterògnatibus, gulæ, plus satis studeret. Malè, non malus, alias, Lacydes Argivorum Rex audivit, quod comâ nimis comta & unguentis delibuta incessu molli uteretur, quæ alias vix titivillitio aut butubata digna videntur. Quemadmodum igitur Principis mores sunt, ita res administrantur, utpote à quo pendeant, qui si ignavus sit, ruunt in deterius, sin bonus est, & strenuus eriguntur & florent. Non erit itaq; sceptrum solum, populum quod regit, non regale solum, non Cræsi ac Cræsi divitiæ, quid cùm privatim, tùm publicè hæ profuerunt? bello uterq; non necessario moto se suosq; perdidit: probavit id, quod à sapientibus est dictum: stultos eos fortunam facere, quos nimium fovet; nec incertum quicquam magis esse, quam opibus abundare, ac nihil aliud scire. Scitè ergò Socrates intuitus adolescentulum divitem & imperitum, en, inquit, aureum  
man-



mancipium. Et Plinius, vitiferi, ait, colles incipiunt: temulenta nobilis exoritur succo per omnes terras inclyto: summum patris liberi cum cerere certamen: at hæ ipse opes ob superbiam ac ferociam inde ortam interitum capux attulerunt. Non L. Æmilij Pauli egestas & inopia; delitescunt plerunq; pauperes domi, nec in luce versantur, suntq; de victu parando, declinandaq; inopia solliciti: nec habendi cupiditate, sicq; proditione, fraudibus, sceleribus aliis alieni: simul ac nummorum pecuniâ, muneribus deliniri, capi largitionibus, sese patiuntur, & aliis, quæ secum ferre egestas & inopia solet. Hinc & belli & pacis tempore illorum autoritas non modo nihil potest, sed etiam valdè imminuitur. Nihil enim, ut ille ait, infelix paupertas, durius habet, quam quod homines ridiculos facit. Quippe Legumlatores prudentes rei huic præclarè consuluerunt: Plebeios à magistratibus abstinere, agros atq; rus colere Romulus tam propter gubernationis difficultatem & imperitiam, quam paupertatem voluit. Non Verris avaritia, hic, si Ciceroni viro illi gravissimo credimus, at credimus, diuitiarum quæstu, quam custodia solertior: itaq; inter quotidianas rapinas inops fuit. Nulla apud eum turpis ratio vincendi: blandus pariter & insidiosus alloquio: qui plura promisit, quam præstitit. Amicitias utilitate non fide coluit, gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia apud utrunque gratiam quærere solennis illi consuetudo. Ispse spoliavit ædem Dianæ & alia templa omni ornatu, amicorum bona vi abstulit, aliorum hereditati se immiscuit, heredibus institutis absque ulla causa hereditatem ad-



mit, imò civitates, provincias conturbavit, in ijs seditiones, tumultus excitavit, inter cives discordiam commovit, non cogitans Prætorem oportere vitam & manus continentes habere. Non Stratoclis & Democlitis regnandi cupiditas. Evenit enim qui imperium dum legitime offeratur, non expectant. ut dum, ad summos dignitatis honores, contendant, instar histrionis habeantur, & horrore quodam respuantur, nec vitare offensiones, vitare fabulam, vitare insidias possint. Ecquis magni eos faceret, qui cum domi nihil, quod agant, habeant, in publica sese negotia ingerunt: nihil votis magis, quam longa subsellia expectant: ludibundi & quasi temporis fallendi gratia, publica officia tractant? Non, me hercule, tales iis multum ab similes videntur, qui totos sæpe dies hinc inde cursitare, in foro atque aliis locis publicis conspiciuntur: aut gravissimis veluti negotiis cogitantes in templis inambulant: sectantur lescas: quærunt circulos: constrinas frequentant: in macellis consistunt, ut nova inquirent, aut nugis profiterant: interim verò nec sibi commodent, nec aliis proficiant. Quis eos aliquo in pretio haberet, qui cum rebus suis luxu, alcæ, comptionibus absumtis, unde vivant non reperiunt, vacuas lacunas ut compleant, Magistratus, aliæque publica negotia quærunt. Verum Jurisconsultorum hac mihi in re probatur sententia: qui dicunt, tales qui sponte non vocati currunt, seque publicis officiis immiscent, ac ingerunt, vel hanc ob causam maximè suspectos habendos esse, quod seipsos obtrudere minimè erubescunt. Ejusmodi Polypragmones, qui non vocati sese longa, quod aiunt, subsellia & pulvinos

som-



9  
somniaut : avidè inhiant honoribus & dignitatibus: hoc ipso satis declarant, ac testantur, ambitiosos sese esse: qui facile justitiæ obliviscuntur, atque ita maximo reipubl. detrimento afficiunt: quoniam, ut Orosius scriptum reliquit, nihil tam sancto jure vallatum reperitur, quod non ambitio prorumpat, disturbet. Non Caroli Octavi inscitia & ignavia subditos conciliat, intraq; limites justitiæ continet. Video non paucos Regum, Principum, Magistratum, senatorum ordinum, qui ad reipubl. gubernacula sedent, statuarios imperitos imitari, & ut hi eximias efformasse sibi statuas videntur, si quantum poterint hiantes eas, distentasq; fixerint: sic & illos sibi persuadere, imperij dignitatisq; sese auctoritatem tueri, cum à literis alieni: aversi à musis: nulla humanitate tincti ac imbuti: voce gravi caperata inq; rugas contracta fronte: aspectu torvo adeuntes terrent: tum maximè statuis ejusmodi similes esse: quæ foris quidem egregiam præ se speciem ferunt: intus verò argilla, luto, aliave pretij nullius refertæ materia sunt. Quis non scit? quantam cladem Romano imperio imperitus ille Caracalla & literarum literatorumq; osor attulit. Quis ignorat? Quantum eidem nocuit ob inscitiam his infestus Lucinius Lucinianus, qui tantus quoq; hostis virorum eruditorum extitit, ut pudore postposito clamârit: venenum & pestem esse Philosophos & Oratores. O comparatio fœda! ô judicium à ratione deflectens. Princeps, Rex, Magistratus quivis regionis aut civitatis illius; cujus administratio ei commendata, oculus eum sit, quid videbunt subditi illi, oculus ipse obscuratus, aut lippiens si extiterit: appellatur quoq; omnium  
B 3 bono-



bonorum fons: limpidè si non fluxerit, quo pacto profucentes inde rivi turbulenti, cœnosiq̃ non erunt: item struitur esse quolibet in imperio quod lumen in con-clavi: in navigio nauclerus: in exercitu dux: in grege pastor: in corpore anima: sol in cœlo: malus igitur atque vitiosus si fuerit: ecquid non ab hoc dāni, detri-menti q̃ expectandum subditis erit. Ferunt sapientes, prudentes, quod haud dissimiles Medicis imperitis esse videantur, qui ægri constitutione non exploratâ, non natu- ræ exploratis viribus, post victus ratione consuctâ ha- bita, ad vehementiora medicamenta deveniunt: atque ita interim agris consulunt, ut, nec his, nec aliis amplius molesti sint. Cœmiteriis verò completis, sandapilariis ac vespillonibus, ditescendi materiam præbeant. Et sic reipubl. vel regni habenas arripiens, aut modo te- nens, usu rerum nullo si sit instructus: nulla literarum politus cognitionæ si fuerit? aliosne reget qui est lapsus? componet moribus incompositis & inconditis præditus? reget sibi qui imperare: frenare superbiam: libidinum domare ætus: iræ coercere impetum: ferociam com- pescere: animi turbulentos motus in ordinem redigere nequit: sed ut uno verbo omnia complectar: bovis non hominis vocem esse, quæ Principem, Magistratum futurum non decere literas astruit, quod Alphonso Ar- rogoniæ Regi adscribitur. Non Xerxis, potentia, non Neronis crudelitas, non Vitellij cœna sumtuosa, non Luculli prodigalitas, non Galbæ cœnaculum populo obsequij frenum imponit. Sed invicta, invicta, Aud. Clar. & Emin., virtus: administrandi justitia in Impera- tore Justiniano. Pictas, clementia, sanctimonia in An- toni-



tonino Pio. huic honores divinos omnis ætas, omnis sexus, omnis conditio, ac dignitas dedit, & sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in sua domo non habuisset. O pulchra vox! ô testimonium commendatissimum. Si omnes subditi de suo principe ita dicant: Desiderium in urbe fuerat, & omnibus adjumentum. Literarum cupiditas & prudentia in Philippo Rege Macedonum. Sapientia in Constantino Magno. Romani sui reipubl, fundamenta in optimis moribus in Deorum metu ac virtutis honore cum collocarent: cumq; in bello fortes atque domi justitiæ amantes essent: in tantum subitario quasi motu amplitudo atq; majestas eorum crevit, ut Ovidius canere non erubuerit.

*Gentibus est aliis tellus data limine certo,  
Romæ spacium est urbis & orbis idem.*

Quam citò de tenui Romanus origine crevit, maximarumq; rerum potitus, tam subito iterum decrevit, labante virtutis studio, omnia temerario ac subitario impetu miserè lata & perturbata. Quid pulchra vocabula pigris prætendis vitiis. à rectis in vitia, à vitiis in prava, à pravis in præcipitia pervenitur. Quæ res alia, quod nostri seculi facies, tam tristis, tam turbulenta, tam calamitosa existit! nisi quia mortales optimas disciplinas, per quas lumen juris & justitiæ accenditur, mentesque hominum corroborantur, earum cultores contemptui, ludibrioq; habent, ut de Consule quodam cujusdam urbis vulgatur, qui aliquando dixisse, comparisonemq; quandam cum halece & Doctore instituisse affirmatur, difficilium, ait, esse bonum halec à malo secernere, quam Doctorem, virumq; eruditum fieri, bovis mugitui, aut canis



canis latratui hæc dictio similior est voce articulata, nec digna tanto viro. Cur Athenæ citius, quam Sparta, Sparta citius, quam Roma dignitatis ac potentiaæ florem perdidit? nonne quia de majorum rectâ consuetudine deflexerant, legum imperium, majestatemq; neglexerant? Profectò sic factum est, & hæc ipsa causa est, omnis mutationis. Quare antiqui sapientes, eos homines divinis extollebant laudibus, qui civitates suas optimis institutis ac saluberrimis legibus temperarunt. Lacedæmonij ex suâ felicitate, quam honestissimis legibus latis, ipsis attulerat, immortalitatem, sapientiaæ laudem Lycurgo tribuerunt. Sapientissimi Solonis Atheniensium legislatoris memoria, iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continetur. Non sine sapientiaæ admiratione, leges illæ commemorantur, quas Locrensis Zaleucus, quas Thuriis Charondas, quas Getis Zanolxis dederunt. Nihil iis magis quæsitum est, quam ut sui ortus partem humanæ societati utilissimè conferrent, quævis pericula subirent, suo consilio ac prudentia aliorum mentes, moresq; gubernarent, multorumq; sibi odium & invidiam concitarent. si qua seditio oriebatur prudenti examine concordia statim fiebat, si qua difficultas rerum eveniebat, temperato consilio inopia civium sublecebatur, omnia parata erant, omnia ad honestatis & virtutis concordiam conspirabant. Discite, discite igitur vos omnes, qui gubernacula rerum, provinciarumq; affectatis. Studium eloquentiaæ, prudentiaæ, sapientiaæ, literarum, legumq; cognitio & usus præcipua vestra cura esto: ne sine capite truncus: sine sanguine exanimis: sine nervis imbecilles censeamini: itaq; ut  
studia



Studia vigeant, artes bonæ floreat, cultoresq; earum  
 amentur, curentur, honorentur, necesse est. Parum  
 enim, ait M. Tullius, sunt arma foris, nisi domi consili-  
 um. sed unde consilium, si abest usus atq; experientia?  
 quid usus absq; sapientia? quid sapientia? ubi non disci-  
 tur, non auditur, non cognoscitur, quid sit justum, re-  
 ctum, æquabile, commendabile? Appollophanes Philo-  
 sophus non vulgaris, non dubitavit affirmare, prudenti-  
 am esse principium virtutum, cui reliquæ omnes famu-  
 lentur. Agnoscimus ergo prudentiam & cognitione  
 rerum comparandam & usu exercendam esse. Multa  
 quippe illum, cui fortunam bonam prudentia donare  
 debet, legisse, vidisse, audivisse & cognovisse necesse est:  
 qui non solum, quæ ante pedes sunt, rectè considerare:  
 sed & quæ longè post futura sunt, prospicere volet, ut,  
 dum omnia secum ratione considerat, malum remove-  
 at, bonum autem capiat. Prudentia enim est animæ  
 pars, seu instrumentum, teste Platone, quod res trans-  
 cuntes apprehendit, conservat, sistit, & circulum facit,  
 id, quod præteriit, reflectens: ut cum præsentī jungatur.

Nihil quidem est subtilius acumine mentis, si inten-  
 datur; nihil cogitatione, quæ præterita memoriæ be-  
 neficio conspicit celerius. sed quid cogitabit? quid me-  
 ditabitur; quid rationabitur is secum, qui rudis & igna-  
 rus rerum est? qui nihil aliud novit, aut didicit, quàm  
 quod ventri & gulæ suave, quod oculis maximè oblecta-  
 mento sit. Prudentis sanè cor sensu viget, sed affectio-  
 ni corporis etiam animi intelligentiam consentire oportet,  
 ne sicut solem nubes obumbrant: sic rationem af-  
 fectus. Quare, me etiam tacente res ipsa suggerit vobis,

C

Aud.



Aud. Clar. & Em. omnino oportere eum multa didicisse, cognovisse, & in multis exercitatum esse, qui prudens vir & rerum satagens perhiberi vult.

A capite ad aures & oculos descendamus, h. e. ad legatos & consiliarios Regum, Principum, Magistratum. Hæc est vis & potentia divinæ majestatis, ut omni tempore, quo vel reipubl. vel regioni cuidam benefacere vult, non solum bonos ac salutes Reges, Principes, Magistratus sed inferioris etiam conditionis homines, magnâ sapientiâ, prudentiâ, eloquentiâ pollentes excitare soleat, qui in bellis suâ eloquentiâ, prudentiâ, & in pace suâ sapientiâ præclarâ reipubl. salutem afferre & suis Principibus ac dominis præsto esse possunt, ut omnia ritè rectèq; fiant, & peragantur. Quid enim Rex, Princeps, Magistratus inter tot varias ac multiplices curas imperij solus efficiet, si Vasallos, Consiliarios fideles, Legatos: quorum scientia, opera & consilio ad reipubl. administrationem uti possit, non habeat oneris imperij participes. In iis equidem requiritur consulta prudentia, multorum seculorum memoriâ comparata peritia, justî atq; injusti notitia, dicendi facundia, qua honesta promptè suadeant, injusta violenter extorqueant, dura suavidico ore molliant. Ad quid enim hujusmodi consiliariorum studium? qui nævos quidem Regis, Principis, haud obscure perspiciant: eundem paulatim per errorem ad interitum vergere facile conjicere possint. ulcus tamen, quod dicitur, tangere, monitisq; in viam reducere, nobili loco aut alios aliquâ in potentiâ constitutos erudire non conantur. sed, non incommodè hos illis conferri posse censeo, qui lucernas quidem mungunt,  
ad cæ-



at earundem, diu ut alantur, dum oleum nullum affundunt, curam nullam suscipiunt. In Legatis exigitur ingenium, exacta historiarum cognitio, fides, fortitudo, temperantia, & dicendi vis, ut fidem dictis probali oratione concilient, animos principum suavitate partim perfundant, partim aptis & accommodatis affectibus concilient, & nunquam re infecta aut male administrata revertantur. Idcirco Mercurij olim eis virga assignata est: hæc

*Increpuit? tacet omne pecus, volucresq; feraq;  
Et simulant fessos curvata cacumina somnos.  
Ne trucibus fluviiis idem sonus, occidit horror  
Æquoris & ternis maris acclinata quiescunt.*

Ita nimirum hi potenti sermonis verbere omnia flectunt, placant, tranquillat. Experimentum vultis? Adest ipse Pyrrhus Regum bellicosissimus, atq; de Cynea Legato suo testatur, plures eum verbis & prudentiam, quam se armis urbes cepisse: concinit Euripides omne id contra oratio expugnat, quod ferrum minax non potest.

Sunt leges anima & vitalis reip. spiritus: quod sicut sine anima corpus: ita sine legibus civitas rerumq; universitas stare & tueri se punctum temporis non potest. Quis furentem in arma populum ac instar beluæ savientem frenaret, sedaret? quis utilia caperet, proponeret consilia: tum salutaria statuendo: tum bene ordinata conservando? Quis judiciorum septis muniret, stabili-  
ret? Quis pauperi, inopi, depresso civi, seu cuiq; suum redderet, si leges, ejusq; cultores sustuleris? Quis ullam in domo ita instituta concordiam, ullam benevolentiam, ullam animorum, voluntatumq; consociationem videret?



ret? si magis ex abrupto, quàm explorato: casu fortu-  
 ito, quàm perpenso consilio omnia fieri, decerniq; debe-  
 rent. O misera hominum conditio! longè inferior fu-  
 tura, si hæc vitæ præsidia, si hæc communitatis vitæ mu-  
 nimenta, si hæc rationum monumenta, tot sensibus in-  
 dagata, tot explorata temporibus, planè tollerentur.  
 Quis non intelligit peritura funditus omnia, & talem  
 quandam confusionem, qualem Poetæ ante orbem con-  
 ditum fuisse fingunt, consequuturam; si ex raptu sine le-  
 ge viveremus, si pietas, fides, concordia, fortitudo, justi-  
 tia, ex discordiâ, intestinâ, insolentiâ, & impietate guber-  
 natorum subverterentur! ô quantum malum! ô pra-  
 væ rei nunquam felix exitus! ô cæcitas! ô imprudentia!  
 ô peccati ansa, impudentia. Quare tenendum id, quod  
 à Platone divinitus & omni regioni & imperio, conveni-  
 enter traditum est, amorem legis animis hominum in-  
 fundendum, quod sine lege non ulla respublica, sed nec  
 exiguus hominû cætus: nec parva quidem domus per-  
 duraret. Nam in qualibet solitudine, in quibuslibet va-  
 stis ac desertis, & ab omni hominum cultu ac consortio,  
 remotis locis suavior vita, quam in ea domo unde justi-  
 tia exulet, esse videatur. ita omnem fructum, omnem  
 dulcedinem, omnem amabilitatem vitæ, vitam denique  
 ipsam tollit è vitâ, qui justitiam ejusq; præcepta tollit.  
 Nonne navis, si clavo careat, maris fluctibus nunc antro-  
 rum, nunc retrorsum continuo impellitur, donec in sco-  
 pulum illisa, aut aquis absorpta pereat: sic regnum, sic  
 civitas, si clavum, h. e. legem, claviq; rectorem, magistra-  
 tum non habeat, non cessat civilibus procellis collidi,  
 usquequo interioribus repagulis dissolutis nutari occi-  
 piat,



piat, & tandem opibus viribusq; attrita, solo aequetur. Porro & exempla docent, quid in præceptis sit verū, quid tutum, usq; adeo, ut nisi historiam mundi vitasq; Regum, Principum antecessorum, quis cognoverit: etiam mentem hominum intelligere, destitutus civili sapientia, & consilia ad res accommodare, casusq; providere, causas fortuitorū ignorans, haud potest unquam. Proinde rempubl. qui volet regere? imprimis operam navet, ut legis normam teneat, quæ pace, unitate, concordia, æquitate, justitia adjuvat? ejus quoq; rationem habendam esse eleganter Cicero admonet, quod ea sublata exploratum sit nemini, quid suum, quid alienum, quid à patre accepturus, quid liberis relicturus esset, nihil deniq; inter mortales æquabile, nihil concors remaneret. unde Papinianus: *Justus, justitiæ majorem, quàm suæ vitæ rationem habuit, ejusq; mens sacris justitiæ præceptis fuit imbuta, ut suam linguam venalem in turpi causa esse noluerit. O præclarum institutum! ô imitatione omnium dignissimum!* Ciceronis est oratio, ab honestissima sententia digitum nunquam discedas. Sed re ipsa hoc facere, hoc opus, hic labor est. C. Fabricius Luscinus, difficilius ab honestate, quàm sol à cursu suo averti potuit. Livius Salinator tam constans & prævalidi ingenij fuit, ut neq; tristi judiciorū exitu compelli, neq; honorū magnitudine adduci poterit, quo se blandiorem in administratione reip. gereret.

Nunc ad cor, h. e. ad Duces belli transcendamus. Non quidem profectò arbitror, quæquam tam stolidi ingenij, tam perfrictæ frontis, tam deniq; obesa naris esse, qui inficias iret, in Ducibus belli prudentiam, eloquentiam, providentiam non debere emicare, ut ex re presenti veluti

C 3 sub



sub manu natum consilium capere possint, omni n. negotio suum tempus est, suaq̄ oportunitas. & sic planè usq̄ comparatum est in republ. ut qui desperatis rebus & fatali necessitate conturbatis opem & suppetias ferre volet, non solum ludibrio habeatur, sed majores etiam turbas dare soleat, nisi prudēter occasionem aptam ad seditionem sedandam captet. Quo remedio Demosthenes, Hyperides Atheniensū in rep. ingentes populi motus sedarunt? Qua provisione Cato, Crassus, Domitius, Torquatus, Romæ seditionum incursum, impetus tribunitios, vim multitudinis, nobilium dissensiones, turbarum tempestates fregerunt? Qua re Q. Catulus civile bellum ingenti motu oriens sepelivit? Quo modo Carolus Magn. ampliavit regnū, turbulentos tumultus sedavit, nomēq̄ invictus meritus? Julius Cæsar aciem inclinatam aliquoties restituit? L. Sylla penè circumventus insidiis & oppressus evasit? Nonne quod prudentiā, experiētiā exculti, dicēdiq̄ vi instructi fuerint omnes. Quo fomento Alexander M. Europam vicit? Asiam subegit? non Persis modo, sed omnibus etiam gentibus imposuit jugum? in Acie Persarum peditum centū millia cecidit: decem millia interfecit equitum: amissis econtra tātum triginta duobus peditibus, centum verò quinquaginta equitibus. ò ingens victoria tantulo impendio. In summa, nullam gentem adiit, quam non subjugavit: nullam rem vel pugnando vel consultando aggressus est, quæ non feliciter cessit? nonne prudentia, providentia, & cautela ejus illud ipsum effecerunt. Idcirco Aud. Clar. qui rapinas, sordes belli amant, illudq̄ sua imprudentia gerunt, humilia; qui prudentiam tanquam reginam exosculantur,

sub-



sublimia; illos proclivia, hos ardua; illos in promptu posita, hos à vulgariis oculis remota, delectent, illos deterrere & exanimet difficultas, hos exacuat & extimulet; illos frangat ac debilitet, hos confirmet ac reficiat; illi nihil sibi proponant, quod non pessimus quisq; consequi possit, hi quicquid imprudentes nec sperare audent, pertinaci studio allaborant. Non id mihi, rerum militarium rudi, sed militiæ magistro Onofandro credite: Imperatoris, inquit, vehementi erecti, excitatiq; in procinctu milites, ardua quæq; & formidulosa despiciunt, & propositam in laudem, victoriamq; acriter decertando conspiciunt, nec ita auribus præcepti turbarum clangores animos ad pugnam acuunt, aut irritant, ut hortatrix ad virtutem & gloriam oratio. nulla igitur respub. aut exercitum sine Imperatore, aut Imperatorem absq; prudentia, eloquentia mittat, necesse est.

Tua hæc laus est, ô literarum corona! ô Regina (prudentiam intelligo) omnium virtutum! tu reipubl. genitrix! tu illius nutrix & conservatrix: tu honorum conciliatrix: laborantibus rebus medicamentum; turbatis præsidium; oraculum consiliariis; ducibus armarium: universis deniq; vinculum. Felices itaq; respub. quæ te alumnam & columnam servant: Augusti Reges, Principes, Imperatores, qui te ministra imperant, regunt, dominantur: Fausti & secūdi consultores atq; internuncij, qui te interprete munus peragunt. Fortunati & florentes duces militum, qui te præsentem habent, ut ratione rectâ prospiciant, quibus in locis, qua ætate, quo genere milites sint legendi, ubi & cujusmodi specie castra constituendi sint, ô te fortunæ ac virtutis moderatricem! insu-  
pera-




terribilium munitionum expugnatricem, solem animarum  
rerum omnium! sine te omnes alij apparatus fumus:  
verborum pompa, spuma est & inanis strepitus.

Quare Agite Juvenes Nobilissimi, Politissimi, qui  
reip. commodo nati & consecrati estis, amplexamini stu-  
dium prudentiæ, sapientiæ, præditum ea venustate, quâ  
omnium artium studia videtis commendari: dignitate  
autem tantâ, quantam convenit æstimari, quam summo-  
rum virorum ingeniis expetitam esse audivistis. utilitate  
verò ejusmodi, quæ autoritate Regū, testimonio omni-  
um doctorum, divini atq; humani juris tabulis compa-  
ratur. Si non tantum humana, sed & divina commen-  
datio aliquid valet, eam artem, quæ Dei ipsius Legatos,  
secundos à Deo Principes & Imperatores, quæ omnem  
reipubl. benè constitutam semper ornavit, quæ multis  
inopes periculis eripuit, humiles ad rerum culmina ex-  
tulit, quæ vobis æternum diligentia vestræ præmium &  
laudum testimonium daturam profitetur, quæq; semper  
apud omnes sancta & flexanima est habita atq; dicta, sic  
in vestros animos alacres admittite, sic in vestram fidem,  
in veneranda Musarum vestrarum penetralia recipite,  
ut quo sædius à barbariè imminente violatur eo san-  
ctius & studiosius à vestra indole ornetur, honoretur.


Sic fiet, ut reipubl. emolumento, amicis præsidio,  
parentibus gaudio, & honori, vobis deniq;  
ipsis utilitati esse possitis.













sublimia; illos proclivia, hos ardua; illos  
 fita, hos à vulgariū oculis remota, del  
 terreat & exanimet difficultas, hos exacu  
 illos frangat ac debilitet, hos confirmet  
 nihil sibi proponant, quod non pessimus  
 possit, hi quicquid imprudentes nec spe  
 tinaci studio allaborant. Non id mihi, re  
 rudi, sed militiæ magistro Onofandro c  
 toris, inquit, vehementi erecti, excitat  
 milites, ardua quæq; & formidulosa desp  
 fitam in laudem, victoriãq; acriter dec  
 rant, nec ita auribus præcepti turbarun  
 mos ad pugnam acuunt, aut irritant, ut  
 tutem & gloriam oratio. nulla igitur re  
 tum sine Imperatore, aut Imperatorem  
 eloquentia mittat, necesse est.

Tua hæc laus est, ô literarum corona  
 dentiam intelligo) omnium virtutum!  
 trix! tu illius nutrix & conservatrix: t  
 ciliatrix: laborantibus rebus medicam  
 præsidium; oraculum consiliariis; duc  
 universis deniq; vinculum. Felices ita  
 alumnam & columnam servant: Augu  
 pes, Imperatores, qui te ministra imper  
 nantur: Fausti & secūdi consultores atq;  
 te interprete munus peragunt. Fortuna  
 ces militum, qui te præsentem habent  
 prospiciant, quibus in locis, qua ætate  
 tes sint legendi, ubi & cujusmodi spec  
 endi sint, ô te fortunæ ac virtutis mo



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No.

Patch reference numbers on UTT